



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Ieremiæ Prophetæ Threni Carmine redditi

Latomus, Jacobus

Antverpiae, 1587

Tota Pvlchra Es amica, &c.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69084](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69084)

EX LIBR. IOB, CAP. I.

Nudus egressus sum, &c.

EX vtero genitrix me nudum fudit in auras,
 Et repetam nudo corpore rursus humum.
 Diuitias & opes Dominus, sortemque beatam
 Contulerat, propera sustulit illa manu.
 Scilicet ipse suis placitis indulgit, & egit
 Quod visum est, animo collibuitque suo.
 Laudibus illius nomen celebretur, eique
 Humani resonet debitus oris honos.

EX EODEM, CAP. XXI.

Ducunt in bonis dies suos, &c.

IN lætis peragunt fugientis tempora vitæ,
 Momentoque breui tartara ad ima ruunt.

TOTA PVLCHRA ES

amica mea, &c.

INter formosas mea dulcis amica puellas
 Tota decora nites.
 Quæ Charitū superat decus, atque Heroidas omnes
 Semideumque genus.
 Gratiior Hyblæo facundia melle, diserto
 Cuius ab ore fluit. (pura,
 Balsama quod redolent, quod Staete, & Cinnama
 Quod Cilicumque croci,
 Quicquid mollis Arabs profert, & quicquid odor
 Barbara Memphis habet,
 Quicquid & extrēmis mittit niger Indus ab oris,
 Quicquid & Assyrius:
 Hoc vnguenta meæ redolent purissima nymphæ:
 Gratius illa tamen.

Sytho.

Sythonius Boreas, & aquosus abiuit Orion:

Cana recessit hyems:

En mollis Zephyrus genitali vberrimus aura

Germine soluit humum.

Terra parens rerum fundit sua munera circum

Corpore restibili.

Et votis auidi iam responsura coloni

Exilit alma Ceres.

Quid volucrū genus, aut pecudū, nōne omnia grato

Suauiter igne calent?

Quam nos, si nescis, mea lux hoc vrimur igne,

Nos calor iste coquit?

Quem tu diua potes (si vis) extinguere, sola

Quæ facis vt caleam.

Ergo veni mea lux votis optata secundis,

Te mihi da facilem.

Viuamus pariter tempus dum suadet, & ætas,

Et finit ipse Deus.

Surge age: quid gelidi fragosa cacumina montis

Incoluisse iuuat?

Surge veni: quid dura moras innectis amori?

In mea rura veni.

Nos tua Phœbæa cingemus tempora lauro

Sutilibusque rosis.

VIATORIS ET IUSTITIÆ

DIALOGVS.

O Buia progreditur gestu, motuque setero
Fœmina, nec certum quid velit ipsa, liquet.

Frons caperata, manu mirum gestamen vtraque,

Quæ sit, quidque agitet mente, rogare iuuat.